

tus. Voluntas autem nova, quae mihi esse cooperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duae voluntates meae, una vetus, alia nova, illa carnalis, illa spiritualis confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam. Sic intelligebam meo ipso experimento id, quod legeram, quomodo caro concupisceret adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Ego quidem in utroque; sed magis ego in eo, quod in me approbabam, quam in eo, quod in me improbabam. Ibi enim magis jam non ego: quia ex magna parte id patiebar invitus, quod faciebam volens. Sed tamen consuetudo adversus me pugnacior ex me facta erat, quoniam volens, quo nolle, perveneram. Et quis jure contradiceret, cum peccantem justa poena sequeretur? Et non erat jam ulla excusatio, qua videri mihi solebam, propterea nondum me, contempto seculo, servire tibi, quia incerta mihi esset perceptio veritatis. Jam enim et ipsa certa erat. Ego autem adhuc terra obligatus, militare tibi recusabam, et impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediti timendum est. Ita sarcina seculi, velut somno assolet, dulciter premebar, et cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen, superati soporis altitudine, remerguntur. Et sicut nemo est, qui dormire semper velit, omniumque sano judicio vigilare praestat: differt tamen plerumque homo somnum excutere, cum gravis torpor in membris est, eumque jam displicenter carpit libentius, quamvis surgendi tempus advenerit: ita certum habebam, esse melius tuae charitati me dedere, quam meae cupiditati cedere. Sed illud placebat, et vinciebat; hoc libebat, et vinciebat. Non enim erat, quod tibi responderem dicenti mihi: Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus: et undique ostendenti vera te dicere, non erat omnino, quod responderem, veri-